

salvom huc advenisse — **STR.** Tam tibi istuc credo quam mihi.  
**EP.** Benene usque valuisti? **STR.** A morbo valui, ab animo aeger fui.  
**EP.** Quod ad me attinuit, ego curavi: quod mandavisti  
mihi 130  
imperatum est, empta ancilla, quod tute ad me litteras  
missiculabas. **STR.** Perdidisti omnem operam. **EP.** Nam qui perdidi?  
**STR.** Quia meo neque cara est cordi neque placet. **EP.** Quid retulit  
mihi tanto opere te mandare et mittere ad me epistulas?  
**STR.** Illam amabam olim, nunc iam alia cura impendet  
pectoris. 135  
**EP.** Hercle miserum est ingratum esse homini id quod facias bene.  
ego quod bene feci male feci, quia amor mutavit locum.  
**STR.** Desipiebam mentis, cum illa scripta mittebam tibi.  
**EP.** Men piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,  
ut meum tergum tuae stultitiae subdas succidaneum? 140  
**STR.** Quid istic? verba facimus. huic homini opus quadraginta minis  
celeriter calidis, danistae quas resolvat, et cito.  
**EP.** Dic modo unde auferre me vis. a quo trapezita peto?  
**STR.** Vnde libet. nam ni ante solem occasum elo \*  
meam domum ne inbitas: tu te in pistrinum 145  
**EP.** Facile tu istuc sine periclo et cura, corde libero  
fabulare; novi ego nostros: mihi dolet cum ego vapulo.  
**STR.** Quid tu nunc? patierin ut ego me interimam? **EP.** Ne feceris.  
ego istuc accedam periculum potius atque audaciam.  
**STR.** Nunc places, nunc ego te laudo. **EP.** Patiar ego istuc quod  
lubet. 150  
**STR.** Quid illa fiet fidicina igitur? **EP.** Aliqua res reperibitur,  
aliqua ope exsolvar, extricabor aliqua. **STR.** Plenus consili es.  
novi ego te. **EP.** Est Euboicus miles locuples, multo auro potens,  
qui ubi tibi istam emptam esse scibit atque hanc adductam alteram,  
continuo te orabit ultro ut illam tramittas  
sibi. 155